

Vossig de tribus Symbolis.

Calixti Praeemium in Augustini libros 4 de doctrina Christiana et Vincentij commentationem.

Oratio panagyrica.

Disputat. de Paulis.

de Baptismo & Eucharistia

de Sacro Santa Domini coena.

de statu animarum separatarum et.

Decemdecim qd. Arianos.

Programma. qd. Nestorianum.

~~de~~ ~~de~~ ~~de~~

Apologia qd. Augustinum.

4 II.

DISPUTATIONVM THEOLOGICARVM

QVARTA,

DE SACRA SCRIP-
TVRA.

CVIVS THESES

DVCE ET AVSPICE CHRISTO,

PRAESIDE

M. GEORGIO CALIXTO

HOLSATO

XIIX. Kal. Iulij in Incluta acad.

Iulia ad Elmum

DEFENDET

GEORGIUS VOLGNAD

Magdeburg.



Helmaestadij Saxonum

Ex officinâ typographicâ IACOBI LVCII,

ANNO

cl b cXI.





Ampl. ^{mis} Consult. ^{mis} & prud. ^{mis}

VIRIS,

Dn. { D. PETRO THYLAEO I.C.
IOANNI MARTINO ALE-
MANNNO Patricio, Coss. dig. ^{mis}.

NEC NON

Dn. { EBELINGO ALEMANNNO Pat.
HENRICO à BRAKEN,
ANDREAE HAKENBERG,
MARTINO PARMAN,

*Inclutæ Reipub. Magdeburgensis Camerarijs
merit. ^{mis}, totiq; ordini
senatorio;*

Fautoribus & promotoribus meis plurimùm obser-
uandis & colendis, officiosè theologi-
cum hoc exercitium

OFFERO, INSCRIBO, CONSECRO

Georg. Volgnad Resp.





Ampl. mis & prud. mis Viris,

DN. D. PETRO THYLÆO IC.

DN. IOANNI MARTINO

ALEMANNO, PATRICIO,

Reipub. Magdeb. Coss. ami-
cis honorandis,

S. D.

JOANNES CASELIUS.



*Non est tiro in castris Musarum civis
vester, Iuuenis GEORGIVS VOLGNA-
DIVS, neq; nouitius academiae nostrae alum-
nus. Venit enim è patrio ludo anno abhinc
sexto: quo tempore Bellona, siue ipsa Ate
potius iterum se mouebat in hac vicinia: veniens ille ad nos,
modestum sibi sodalem inuenit vnum atq; alterum: qui &
ipsi studia litterarum instituebant, non plebeis exemplis,
sed de consilio CHRISTOPHORI HEIDMANNI,
praestantis iuuenis, vnius mihi carissimorum familiarium,
quod probis moribus, quod totus in bonis litteris, plures et-
iam studij sapientiae partes, praeter leges, in quibus pluri-
mum esset, colens: accedebat, quod mihi illum pro populari,*

A 2

natus

natus itinere vnius diei à Gottingâ in insula Visurgis, vnde nobis Bodoninesiotus est. Paucis mensibus laborem hunc musicum non segniter colebant, cum infelicitas iterum academiam nonnihil conturbavit: ibi tum Volgnadius se cum sodali altero in patriam retulit: in cœpto quoque perstitere intra parentum parietes: sedatis porrò aliquantulum fluctibus, simul huc regressi, ille domi meæ cœpit viuere: ex eo mihi de modestia, ingenio & diligentia notior. Quòd si contrariam aut diuersam inisset rationem, non creuisset hæc familiaritas, è priore consuetudine nata, dissilisset beneuolentia. Probauit autem se præterea cum alijs, tum Cl. Cornelio nostro, quem ego, non quod mihi ab adolescente amicus, & hodiè primum magistratum gerit, sed quod citra inuidiam plerisque nostrum præstat omnibus animi dotibus: vt ipsi senex iuueni æquissima voluntate cedam, quem tamen ille semper habuit studij sui siue prædicatorem, siue instigatorem. Laudando enim profectò currentibus calcaria addimus. Ceterum hæc in modestia & litteris constantia, laudatione nostrâ in Volgnadij animo confirmata, ad certum vitæ genus, litteratum tamen, magis ipsum inuitauit, de quo amici cum primis sciscitari consueuerunt. Cum autem ille eo ingenio, ijs principijs acceptis, conferre se constituisset, ad quos videretur, vltro audire cœpit theologos, quod & ipse probabam: & poterat cum fructu, qui plus quam primoribus labris degustasset linguas necessarias, rectè differendi facultatem percepisset, paratis multis alijs adminiculis: quæ plerique aspernati, ad superiorem in templis locum festinant.

Mode-

Modestè noster maturè & ordine accessit, & procedit haec-
nus: neq; porrò aliter facturus videtur: primùm hoc agit,
vt ipsa summa capita rectè percepta habeat, & libros sacros
intelligat: eorum, quæ obscura videantur, interpretationem
à doctõibus petat: quæ verbis interdum pugnare videan-
tur, quemadmodum sententijs consentiant, deprehendat.
Hic nimirum aditus est ad intelligentiam sacrae scripturae,
quò, qui processere, cum domi, tum publicè de multis non inu-
tilitèr inter se conferunt. Nam de omnibus disputare ne-
que omnium est, quod quiq; suis limitibus & ætatis & of-
ficij & circumstantiarum circumscripti sunt, vt me olim
Græci theologi docuerunt, prudentes & sancti viri: neq;
disputatio ad omnes institui debet, neq; de omnibus. Quam
ego laudo, & cum ratione probatur, erudita illa, sobria, à quâ
absint ^{et} ^{is} ^{neq;} ^{et} ^{id} ^{ea}, & per se, & Paulina voce, semper ex-
ecrabilis: inuestigetur & confirmetur veritas, quoad salu-
tem necessaria, & ipsa in huius vitæ consuetudine parari
potest. Intra hasce metas facilè & libenter se continent,
quotquot de semetipsis emendandis primam perpetuamq; co-
gitationem suscipiunt, studio quoq; vitæ sanctioris omnia hu-
mana postponentes. Etenim, si quis addictus sacro ordini
absq; sanctimoniâ vitam colat, hunc rectè comparemus cum
carbonario, qui in eadem tabernâ fulloniam exerceat. Ve-
stræ autem ciuitati gratulor, quæ probos, pios, eruditos ci-
ues, foro, curiæ, templis educat: Vestram sapientiam præ-
dico, qui tales & diligitis, & in precio habetis. Erant au-
tem & alia, quæ non incommodè adscriberem; tamen ea ipsa

theologus, eximiâ doctrinâ præditus, & moderatî animi,
pleniùs, meo quoq; iudicio, explicet: quales coli & audiri ab
initiatis sacrae scripturae, vel solos, vel præcipuè oportet. For-
tè non reticere debeo, quâ fiduciâ hanc epistolam ad vos mit-
tam, consules amplissimi: ne quis alius hoc me temerè ausum
existimet, quod neuter vestrum suspicabitur, cum doctrinâ
ambo exculti sitis, & faueatis academiae Iuliae. Recordor
enim, ut Brunoniensium nationum ciues & vestrorum
ciuium apud nos litteras colentium filios, ineuntes academi-
cam societatem, exemplo aliorum, legitimam, spectantem ad
modestiam, & singularem animorum coniunctionem, proba-
re, & collaudare non dubitaueritis: quapropter & vestri iu-
uenes nobis cariores, maioriq; cura sunt. Vtrumq; igitur, se-
natus principes, compello non iniuriâ, qui vestro ordini præ-
itis cum senatorijs virtutibus, tum auctoritate. Te al-
loquor, Consul Thylæe, non impudenter, ad quem biennio
quoq; abhinc litteras dederam, nulla curiositate, bono con-
silio, uti tum quoq; ostendi, tibi non ingratis: neq; nihil obti-
nuissem, nisi de negotio fuisset decretum priùs. Itaq; neq;
hodiè de tua humanitate, atq; in me beneuolentiâ dubito. A-
lemannorum autem gentem istic patriciam, & ab aliquot se-
culis claram meritis erga ciuitatem, semper obseruavi, &
ab annis plùs minùs sexaginta cum Alemannis amicitiam
colui, cum Melanchthoni, præceptori nostrarum gentium
longè doctissimo & solertissimo, eruditorum illius seculi o-
mnium moderatissimo, operam daremus. Neq; nulli sunt
hodiè

hodiè in vestrà familiã, quod te quoq; scire arbitròr, mei a-
mantes, agnati tui, inq; his consul Martinus, eiusq; filius Io-
annes, Alemanni: neq; ego nusquam facio vestrae familiae
honorificam mentionem, vti par est. Erit igitur neutri
vestrum grauis, & ingrata hæc epistola, cum vtrumq; æquè
ipse obseruem: me igitur vobis quoq; carum esse, & velim,
& spero. Valete consules amplissimi. Helmstadij
in acad. Iulia. V. Kal. Quinctil.

cl. l. c. XI.



A D

GEORGIVM VOLGNA-
DIUM, iuuenem doctiss. popu-
larem cariss.

Disputat inscitè, cui non est regula veri,
Perquàm ridiculus sæpè etiam pu-
eris:

Siue sit in sacris quæ dissertatio; siue
De varijs, quos dat, casibus omne forum,
Seu noua de medicis rebus sit quæstio, siue
E media Sophia disseruisse iuuet:

In

In minimis nihil est, hâc quod sit lege solutum.
Dissertare velis? differito logicè:
Hâc procede viâ: quod agis, mihi care sodalis:
Impensam minimè luseris hanc operam.
Hâcce iubet methodo Cornelius ire, Calixtus,
Quem rectè sequeris, fortitèr vrget opus:
His ducibus positæ continges vltima metæ,
Non deerunt, qui te consilio, ære iuuent.

DANIEL TVLICHIVS
Magdeburg. LL. St.



*Vide retro finem
dissertationis 3.*



DISPUTATIO IV.

DE SACRA SCRIPTURA.

Respondente *GEORGIO Bollgnad Magdeburg.*

THESIS I.



Nam Dei simplicissimam essentiam, & in vnâ illâ essentiâ tres verè & realitèr distinctas personas Patrem, Filium, & Spiritum sanctum demonstrauius, quæq; eò pertinebant, vt ratio instituti ferebat, explicauimus.

II. Nunc progrediendum ad Voluntatem Dei, vt videamus quónam cultu ipse à nobis coli velit, quomodo in nos affectus sit, quæq; *καὶ τὴν βαλὴν τῆς θελήματ' αὐτῆς*, media ordinauerit, per quæ è miserijs, in quas Adami, parentum & propriâ culpâ prolapsi sumus, eripiamur, & ad æternam illam beatamq; vitam, plenamq; & perfectam Dei trinius cognitionem perducamur.

III. Hanc autem diuinam voluntatem, per diuinum verbum innotescere, nemo credo ausit negare. Hoc verò verbum, quo nimirum se suamq; voluntatem Deus nobis patefaciat, alij esse volunt non quod in libris Prophetis & Apostolicis scriptum habetur, sed quod vnicuiq; priuatim spiritus dicet & reuelet.

IV. Alij scriptum licet verbum recipiant, hoc tamen ambiguum & obscurum esse dicunt, cuius sensus ideo ex ipso eius contextu depromi non possit, sed dependeat ab interpretatione Ecclesiæ; versionem quoq; pro fonte obtrudunt, & libros complures adiiciunt, neq; libros tantùm, sed præter libros

bro traditiones non scriptas pari pietatis adfectu & reuerentiâ suscipiunt ac venerantur.

V. Prioris erroris auctores sunt Th. Munzerus, Schvvenfeldius, Libertini & alij Enthusiastæ. Posteriores omnes defendunt Pontificij.

VI. Quum veritatem cœlestem veritatis auctor & conseruator Deus ministerio Martini Lutheri denuò in orbem reduceret, & discussis Antichristianis regni Pontificij, quod iam aliquot secula floruerat, tenebris fulgorem diuinæ lucis vbiq; locorum radiare iuberet, exorienti huic soli, vt more suo, quem antiquum obtinet Satanas, nebulam quâ potuit, effudit.

VII. Excitauit enim qui veritatem impugnarent, non modo è lustris Papatus Antichristi parasitos & satellites; verum ex ipsis illis qui contra Pontificem facerent, & crassos eius, ostendente Luthero, errores agnoscerent, prodire fecit, qui renascentem doctrinam quoq; modo discerperent, adfligerent & impedirent.

II X. Horum primus fuit Andreas Bodenstein Carlstadius, qui Luthero propter proscriptionem Cæsaris VVartburgi agente statuas è templis eiecit, & postea ab ipso aperte dissensit & discessit.

IX. Sequuti sunt alij, qui nec nesciente, nec improban- te Carlstadio, colloquium sibi cum Deo esse fingebant, & mandatum habere se dicebant, vt impijs omnibus interfectis nouum constituerent mundum, in quo soli pij & innocentes rerum potirentur.

Steid. l. 5.

X. Ex hoc hominum genere fuit Tomas Munzerus Stolbergensis, concionator Alsteti in Thuringiâ, vnde eiectus Noribergam venit, & inde pulsus Mulhusium: qui prodigiosam illam rusticorum seditionem excitauit, quæ non sine ingenti ipsorum strage comprimebatur A. C. 1525. Thomasq; Franc-
husij,

husij quò profugerat captus, Helderungum deductus, & inde in castra ante Mulhusium reductus, capitis poenam luit.

XI. Duo fuerunt præcipui furores Thomæ, Vnus de abolendo Magistratu; alter de negligendo verbo scripto, & expectandis & magnificandis adparitionibus signis & somnijs.

XII. Vtrumq; vnà cum pluribus alijs de nouo superad-
ditis amplexi sunt Anabaptistæ, qui in Monasterium urbem ^{Sleid. l. 10.}
VVestphaliæ, magno numero confluxerunt auspicijs Bernh.
Rotmanni concionatoris Apostatæ, & Ioannis Sartoris Lei-
denfis, Regis personati, de quo, vrbe A. C. 1535. die Ioannis
Baptistæ captâ, supplicium sumtum est A. C. 1536. postridie
Sebastiani, 22. Ianuarij.

XIII. Ex officinâ Munzerianâ prodijt etiam Caspar
Schvvenckfeld ab Ossing, nobilis Silesius, qui & ipse complu-
res errores adinuenit, & suum fecit eum, qui est de verbo scri-
pto, quod ex 2. Cor. 3, 6 literam occidentem dicebat, atq; in-
efficax & inutile esse.

XIV. Eiusdem farinae sunt Libertini, auctores Coppi-
no Insulano Flandro, & Quintino Sartore Hannonio exorti
circa A. C. 1529. De quorum erroribus, moribus & vitâ vide
Caluini instructionem aduersus eosdem.

XV. Hic furor haud operosâ refutatione indiget. Do-
ctorum enim & ductorum inscitia, impudentia, scelerata vita,
demum tragicus exitus, & doctrinæ vnà cum suis auctores
interitus abundè demonstrat nō fuisse à Deo & Spiritu sancto,
quæ animo isti homines conceperant & agitauerant. Nam si
ex Deo fuissent, dissolui non potuissent, Act. 5, 38.

XVI. Quanquam Deus ipse eis è diametro repugnat. Io-
suæ enim mandat, ne recedat ab ore eius volumen legis. Chri-
stus allegat Legem Psalmos & Prophetas, prouocat ad scri-
pturas, disputat è scripturis, & *scrutamini inquit scripturas,*

Ioan. 5, 39. *quoniam ipse sunt, quæ restantur de me*, Ioannes testem suæ vo-
Rom. 10, 17. cationis facit scripturam. Paulus *fidem ex auditu* esse dicit, au-
g. Tim. 3, 15. *ditum autem per verbum Dei*. Item *scripturam diuinitus inspi-*
3, Pet. 1, 19. *ratam & vtilem esse ad docendum ad arguendum*. Petrus ait: *ha-*
bemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis adtenden-
tes lucenti tanquam lucernæ in loco caliginoso.

Act. 17, 11. XVII. De Berrhoënsibus cum laude commemoratur, quòd auditâ prædicatione Pauli scripturas scrutarentur, an hæc ita se haberent.

XIIX. Demum cur Deus ea scribi voluisset, & scripta conseruasset si eorum nullus futurus vsus?

XIX. Et quum regula fidei ac religionis certa esse debeat, (nisi enim certa sit, regula non erit) & immota, quid e-
contrâ cogitationibus, speculationibus, signis & somnijs contem-
tius, vanius & fallacius esse potest?

XX. Ab hac blasphemiâ quàm non procul absint Pontificij, mox, si primò numerum, ordinem, & distinctiones libro-
rum sacrorum recitauerimus, declarabitur.

XXI. Sacra scriptura diuiditur in libros V. Test. & No-
ui. *Vetus* illud est, quod ante natum Christum instinctu Spiritus sancti conscriptum, Christum venturum promittit, typis-
que ac figuris adumbrat. *Novum* complementa promissio-
num quæ in veteri habentur, continet, nempe Christi nati-
uitatem, acta, passionem, resurrectionem & adscensionem de-
scribit, & salutem per fidem in hunc Christum impetrari per-
spicue docet.

XXII. *Vetus* solum à Iudæis recipitur. Repudiabatur olim à Simonianis, Marcionitis & Manichæis.

XXIII. Diuiditur à Christo in Legem, Psalmos & Pro-
phetas; *Luc. vlt. v. 44*. Alibi in Mosen & Prophetas *Luc. 16, 29*.
vbi Psalmi Prophetis adscensentur.

XXIV. A Iudæis dispescitur in IV ordines.

XXV. Primus inscribitur חמשה חומשי תורה Quinq; quinquerniones legis, siue Lex partita in V libros, quorum auctor indubitatus est Mōseh. Hisce tamquam adpendices subiunguntur libri festiuitatum, quos Iudæi in solennibus suis festis legere consueuerunt, nempe Canticum Canticorum Selomonis, quod legunt in festo Pesach: in festo autem hebdomadam siue Pentecostes librum Ruth; in festo Tabernaculorum Ecclesiasten legunt. Threni Ieremiæ prophetæ, quibus templi & vrbis desolationem deplorat, leguntur septimo die mensis quinti, hoc est, VII. Eid. Sextil. quo templum mandato Nebucadnezaris exustū fuit. Volumen Esther legunt diebus Purim, qui sunt XIV & XV mensis Adar, vt recolant memoriam admirandæ istius liberationis è sanguinolentis Hamanis machinationibus, temporibus Ahasueri, quem quidem Iosephus Artaxerxen adpellat; alij tamen Xerxen esse malunt. I. II. Antiq. c. 6.

XXVI. Secundus ordo continet נביאים ראשונים Prophetas priores, nempe librum Iosua, Iudicum, duos Samuelis & duos Regum.

XXVII. Tertius נביאים אחרונים Prophetas posteriores, Iesaiam, Ieremiam, & Iezechielem (nam Daniele ad quartum detrudunt) maiores: & XII minores, Hoseam, Ioëlem, Hamos, Hobadiah, Ionam, Micham, Nahum, Habacuc, Saphaniam, Haggæum, Zachariam, Malachiam; qui omnes pro vno libro habentur, vnde Stephanus Act. 7, 42, vbi ex Hamos cap. 5, v. 25. & seqq. quædam in testimonium adducit, ea in libro Prophetarum scripta esse dicit. R. David Kimhi Commentarium suum in eosdem ita orditur: *Hic liber est coagmentatus ex XII Prophetis. Dixerunt Doctores nostri simul esse compactos, ne liber ex illis periret propter breuitatem suam, si quisque per sese distinctus esset.* Ita vertit Mercerus.

XXIIX. Quarti titulus est ספר כתובים Liber scriptorum,

I 3

nempe

nempe à Spiritu sancto, vt ita ab eo quod omnibus commu-
ne est, hanc partem denominauerint. Continet Psalterium;
Prouerbia; Iob; Daniele; librum Hezræ & Nehemiæ, qui
apud ipsos cum superiori coniungitur, & secundus Hezræ di-
citur; Paralipomena, Hebræis רב־יָמִים Verba dierum siue
Chronologiam, nempe primo libro annorum 2930, ab Ada-
mo condito ad obitum Dauidis; & secundo annorum 505, à
principio regni Selomonis ad finem captiuitatis Babylonicæ.

XXIX. Hæc veteris Testamenti volumina à Iudæis in Ca-
none habentur, suspiciuntur & sanctè custodiuntur.

XXX. Quoniam verò Iudæi tanquam librarij nostri sunt,
quibus Deus sacros V.T. libros tradidit, commisit, & à quibus
in nostrum vsum conseruari voluit, sicut ineptè faciunt qui
horum aliquem reijciunt, ita absurdè præter hos recipiunt
Pontificij alios, Hebræis ignoratos, eisq; tantundem aucto-
ritatis adtribuunt, vt habeant vnde suis quisquilijs qualem-
cumq; penulam mutuentur.

XXXI. Deinde primitiua Ecclesia, quæ optimè nouit li-
bros sacros & rationem eorundem, & à quâ quod testimoni-
um recentior accepit, propagare debet, non mutare, eosdem
in Canone ponit, non alios. Neq; verò si de quibus dubita-
rint maiores, non poterunt dubitare posteris: neq; tribuere
aliquibus, quod non tribuit antiquitas.

XXXII. Vide Melitonem Sardensem siue Asianum in Ep. ad
Onesimum *apud Eusebium lib. 4. c. 25.* qui nescio an singulari
consilio voluminis Esther non meminerit, an descriptorum
incuriâ catalogo exciderit. Idem quoq; volumen extra Ca-
nonem ponit Athanasius in Synopsi, quanquam apud Hebræ-
os pro canonico haberi dicit. Deinde consule Origenem a-
pud Eusebium, *lib. 6. c. 19.* Nazianzenum *carmine de genuinis scri-
pturae libris*, quod concludit ita, vt dicat: *quidquid extra hæc
inuenitur inter adulterinos libros numerandum est.* Epiphanium
libro

libro de pond. & mens. Item lib. 5. rom. 1. her. 8. Damascenum lib. 4. de fide orih. c. 18. Hieronymum in prologo Galeato. Cyprianum siue (vt alij rectius iudicant) Rufinum in expositione Symboli. Hilarium prologo in explanationem psalmorum.

XXXIII. Synodus quoq; Laodicensis eisdem, non autem plures in auctoritatem recipi, & in Ecclesijs legi iubet. Celebrata est circa A. C. 368, & confirmata in sextâ generali, Constantinopoli in Trullo habitâ. Can. 59.

XXXIV. Hi itaq; sunt Veteris testamenti libri Canonici, ita dicti, quoniam canon sint & regula veritatis, sic enim scripturam adpellat Tertullianus; & Chrysostomus ἀπάντων ἀνε- Hom. 13. in
2. Corinth.
ἔν ζυγόν καὶ γνώμονα καὶ κανόνα. Augustinus stateram diuinam lib. 2. de Bap. contra Donatistas cap. 6. Sequuntur Apocryphi, hoc est, occulti, incerti siue dubij, ab Hebræis & primitiuâ Ecclesiâ non recepti.

XXXV. Inter hos primus sit liber Tobiaë, qui semetipsum Canonicum non esse satis demonstrat, dum Archangelo Raphaëli ministeria tribuit, qualia angelorum non sunt. Insuper ipsum Raphaëlem introducit dicentem; *cordis piscis* Cap. 6, v. 9.
particulam, si super carbones ponas, fumus eius exstirpat omne genus demoniorum, siue à viro, siue à muliere, ita vt ultra non accedat ad eos. Quasi verò huiusmodi armis debellarentur principes & potestates, rectores mundi & tenebrarum seculi huius, illa spiritalia in cœlestibus?

XXXVI. De libro Iudith in prologo eius ait Hieronymus, quòd ipsius auctoritas ad roboranda illa quæ in contentionem veniunt, minus idonea iudicetur. Certè peccat historia in rationem temporum enormiter. Nam cap. 5, 21 dicit Achior: *Captiui ducti sunt in terram non propriam, & templum Dei eorum factum est in pauimentum, & ciuitates eorum captae sunt ab aduersarijs: & nunc conuersi ad Deum suum adscenderunt de dispersione quâ dispersi erant illic, & possederunt Hierusalem, ubi sanctuarium eorum.*

eorum. Accidit itaq; post captiuitatem Babylonicam: at tunc nullus fuit Arphaxat aut Nabuchdonosor, quorum capite primo mentio fit. Deinde Bethulia in Iudæis nulla; sed nomen confictum, sicut Iudith & Holofernes. Demum nihil eius habet Iosephus historicus fidelissimus ac diligentissimus. XXXVII. Hic igitur liber, quemadmodum quoq; liber Tobiaë, argumentum potius videtur piæ religiosæq; fabulae aut comoediæ, quàm vera historia.

XXXIIX. Sequuntur libri Maccabæorum primus & secundus. De secundo notetur quod primo aliquoties contradicat. 1. Macchab. c. 9 occumbit Iudas Maccabæus, anno Græcorum siue Seleuci 152. Idem 2. Maccab. cap. 1 literas scribit ad Aristobulum Anno 188, hoc est, 36. anno post obitum suum. Idem 1. Maccab. cap. 4 sanctuarium purgat ante mortem Antiochi; 2. Maccab. cap. 10 post obitum Antiochi. Primo Maccab. cap. 6 Antiochus in Persiâ ex mœrore mortuus esse scribitur; 2. Maccab. cap. 1 in templo Naneæ lapidibus obrutus & membratim dissectus; rursus cap. 9 peregrè inter montes vitam finisse. Confarcinatus autem est hic liber ex libris Iasonis Cyrenæi, vt fatetur auctor cap. 2, 24. qui & ipse sub finem veniam petit, si minus benè dixerit. Hæc autem quàm rectè Spiritui sancto auctori canonicarum scripturarum conueniant, quis non videt?

XXXIX. Porrò primo lib. cap. 6 Eleazarus; & secundo libro cap. 14 Razias, (qui tamen timidè potius quàm generosè mortuus est) *ἀντόχειροι* laudantur. Dicit autem Augustinus

in sanctis Canonicis libris, nusquam nobis praeceptum permissumue reperiri potest, vt vel ipsius adipiscenda immortalitatis, vel ullius carendi, cauendive mali causâ nobismetipsis necem inferamus.

Vnde colligere licet Augustinum hosce libros pro sanctis & Canonicis non habuisse. Gregorius quoq; Magnus ille Episcopus Romanus, quando ex primo Maccabeorum Eleazari

l. 1. de ciuit.
c. 20.

l. 19. Moral.
c. 13.

zari exemplum adducit, eos libros canonicos non esse, sed tamen ad adificationem ecclesie editos testatur.

XL. De libro Baruch, (adscribam verba ipsius Bellarmini, quæ poterunt esse prodigij loco) controuersia fuit & est, tum quia non inuenitur in Hebræis codicibus, tum etiam quia nec Concilia antiqua, neq; Pontifices, neq; Patres, qui catalogum librorum sacrorum texunt, huius Prophetæ disertis verbis meminerunt. Itaq; ex Catholicis Io. Driedo hunc librum negat esse canonicum. Ceterum nobis contrarium persuadet Ecclesie Catholice auctoritas, quæ in concilio Tridentino Sess. 4. Prophetam Baruch inter sacros libros numerat: & in profesto Pentecostes palàm lectionem ex libro Baruch legi iubet. Nec desunt etiam veterum Patrum testimonia. Haftenus Bellarminus.

XLI. Quod concilium Tridentinū nobis opponit, plusquam ridiculum est. Nec maioris facimus ipsius Ecclesiam; quam ea ipsa libri quarti Hezræ, (quem nobiscum Canonicum esse inficiantur) sententias aliquot in sacrosanctæ suæ missæ mysterio, & in publicis suis precationibus vsurpat feriã tertiã pentecostes, & in solemnitatibus Martyrum, teste Pererio lib. 15. Comment. in Daniel.

XLII. Quin eundem citat Ambrosius & Cyprianus; pastorem Hermetis Origenes, Tertullianus, Irenæus, Clemens Alexandrinus, Athanasius, Cassianus teste ipso Bellarmino. lib. 1. c. 20. Hinc igitur satis manifestum non statim Canonicum librum esse, quia citetur à Patribus.

XLIII. Liber Sapientiæ & Ecclesiasticus, quos Selomoni adtribuunt, eiusdem sunt conditionis.

XLIV. Neq; enim ab antiquis solū non recensentur cum canonicis: sed apertè extra canonem ponuntur. Hieronymus in Galeato. *Quidquid extra hoc est, inter Apocrypha est ponendum. Igitur Sapientia, quæ vulgò Salomonis inscribitur, & Iesu filij Sirach liber & Iudith & Tobias & Pastor non sunt in*

K

Cano-

Canone. Maccabeorum primum librum Hebraicum reperi. Secundus graecus est, quod ex ipsâ quidem phrasi probari potest. In prologo prouerbiorum. Fertur & Panaretos Iesu filij Syrach liber, & alius pseudepigraphus, qui Sapiencia Salomonis inscribitur. Quorum priorem Hebraicum reperi. Secundus apud Hebraeos nusquam est, quin & ipse stylus graecam eloquentiam redolet, & nonnulli scriptorum veterum hunc esse Iudaei Philonis adfirmant. Sicut ergo Iudith & Tobia & Maccabeorum libros legit quidem Ecclesia, sed eas in canonicas scripturas non recipit, sic & haec duo volumina legat ad edificationem plebis, non ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam. Athanasius in Synopsi. Præter Canonicos sunt adhuc alij V. Instrumenti libri non Canonici, qui catechumenis tantum leguntur, Sapiencia Salomonis, Sapiencia Iesu filij Syrach, Esther, Iudith, Tobias. Ipsi sunt libri V. Instrumenti non Canonici. Quidam verò ex veteribus apud Hebraeos pro Canonicis reputari dixerunt librum Esther. Epiphanius lib. de pond. & mens. Salomonis Sapiencia & Sapiencia Iesu filij Syrach in numerum receptorum non referuntur. De iisdem libris Damascenus lib. 4. c. 18. pulchri hi quidem libri & honesti, sed non numerantur in Prophetis libris, neque ponebantur in arcâ. Rufinus in exposit. Symboli: Sciendum quod & alij libri sunt, qui non Canonici, sed Ecclesiastici à maioribus adpellati sunt, ut Sapiencia Salomonis & Iesu Syrach, Tobias, Iudith, libri Maccabeorum; quae omnia legi quidem in ecclesiis voluerunt, non tamen proferrî ad auctoritatem, ex his, fidei confirmandam. Horum auctoritatem sequuntur ex recentioribus complures, Rabanus Maurus, Hugo & Richardus de S. Victore, Nic. Lyranus, Dionysius Carthusianus, & inter ipsos Pontificios nonnulli.

XLV. Demum magnum contra hos libros argumentum est, quod nullus eorum vtut prolixus in N.T. vlllo modo adlegatur aut citetur. Non igitur à Christo & Apostolis adprobantur: imò apertè reijciuntur per illam distinctionem, quo
Chri-

Christus libros V. T. diuidit in legem, Psalmos & Prophetas. Constat enim à temporibus Malachiae non vixisse in populo Iudaico Prophetas.

XLVI. Manifestum est igitur nisi seruetur hæc inter Canonicos & Apocryphos libros distinctio, conculcari testimonium primitiuae Ecclesiae, conuelli auctoritatem vniuersae scripturae, ostensam nimirum falsitate & contradictionibus ex Apocryphis. *Admisso enim semel, vt rectè monet Augustinus, in tantum auctoritatis fastigium officioso aliquo mendacio, nulla illorum librorum particula remanebit, quæ non vt cuiq; videbitur, vel ad mores difficilis, vel ad fidem incredibilis eadem perniciosissima regulâ ad mentientis auctoris consilium officiumq; referatur.* Ep. 8.

XLVII. Fragmenta quoq; librorum quæ neq; apud Hebræos inueniuntur, neq; antiquitatis suffragia meruerunt, neque conueniunt cum ipsis libris in canone ponunt Pontificij, vt in Esther IX capita; in Daniele hymnum trium puerorum; historiam Susannæ; Item Belis & Draconis, quas fabulas appellat Hieronymus.

XLIIIX. Orationem Manasse; Hezræ lib. tertium & quartum; Maccabeorum tertium nobiscum reiiciunt.

XLIX. Tantum de libris V. Testamenti dictum esto. Sequitur Nouum, vbi primùm se offerunt IV Euangelia.

L. MATTHAEVS primus scripsisse traditur, & quidem Hebraicè à Iudæis ad gentes transiturus: vnde Eusebius Euangelium secundum Hebræos adpellat, l. 3. c. 21. & cap. 18 clarè dicit Euangelium hoc patrio sermone ab auctore conscriptum; quod itidem apud eundem lib. eodem cap. vlt. Papias testatur. Confer Irenæum l. 1. c. 26. & l. 3. c. 1. Epiphanium l. 1. tom. 2. her. 29. Chysostrum in Matthæum & Theophylactum, qui ait: *Matthæus omnium primus scripsit euangelium Hebraico idiomate, ad eos qui ex Hebræis crediderant post 119 annos adsumti in cælos Christi. Porro Ioannes Gracè, vt ferunt, interpretatus est.*

At Marcus post X annos adsumti Christi ex ore Petri edoctus scripsit.
Lucas autem post XV annos. Deniq; Ioannes rerum diuinarum pe-
ritissimus post XXXII. Hæc Theophylactus. MARCVS itaq;
discipulus Petri rogatu auditorum Petri scripsisse ab Euse-
bio narratur, ipsamq; scriptionem à Petro comprobata[m] es-
se. Marcus discipulus & interpret[us] Petri, ait Irenæus, & ipse quæ
adnunciata erant, præscripta nobis tradidit. Eadem repetit Hie-
ronymus in Catal. c. 8. LVCAS ipse ideò se scribere dicit, vt
Theophilus cognoscat eorum, in quibus eruditus sit, ἀσφά-
λειαν. IOANNES omnium consensu vltimus scripsit, præci-
puè diuinitatem Christi contra Ebionem & Cerinthum, vt
suprà quoq; adnotauimus, adstruens, atq; ea persequens quæ
reliqui præterijisse videri poterant.

LI. Acta Apostolorum à Lucâ memoriæ consecrata sunt,
nempe Missio Spiritus sancti, Martyrium Stephani, Conuer-
sio Pauli, Synodus Apostolorum, itinera, prædicationes, car-
ceres, præcipuè Pauli, vsque quò Romam venit, vbi in libe-
râ custodiâ biennium mansit.

LII. Pauli Epistolæ indubitatae tredecim sunt: Ad Ro-
manos; Duæ ad Corinthios; ad Galatas; ad Ephesios; ad Phi-
lippenses; ad Colossenses; Duæ ad Thessalonicenses; totidem
ad Timotheum; vna ad Titum, & vna ad Philemonem.

LIII. De Epistolâ ad Hebræos ambigitur, an Pauli sit. Neq;
enim Pauli nomen, vt cæteræ omnes præfixum habet; neq;
phrasi Paulinæ congruit. Cap. 2. v. 3. dicit. *Quomodo nos effugiemus
si tantam neglexerimus salutem? quæ cum primùm enarrari cepit
per Dominum, ab ijs qui ipsum audierunt in nos confirmata est, con-
stante Deo signis & portentis & varijs virtutibus.* At Paulus
nulli mortalium euangelium suum acceptum refert, Gal. 1, 12.
Neq; opus habebat, vt confirmaretur in ipso, qui id à Deo di-
dicerat, & plurimis miraculis ipse confirmarat. Quanquam
igitur auctoritatem huic epistolæ non detrahimus, Pauli ta-
men esse non putamus.

54. Vnde

LIV. Vnde & Hieronymus de eadem in Catalogo: *Epi- Cap. 5^o*
stola qua fertur ad Hebraeos, non eius creditur, propter styli
sermonisq; dissonantiam, sed vel Barnaba, iuxta Tertullianum: vel
Luca Euangelista iuxta quosdam: vel Clementis Romanae postea Ec-
clesiae Episcopi, quem aiunt sententias Pauli proprio ordinasse & or-
nasse sermone. In eadem sententiâ est Caius antiquus Do-
ctor & auctor apud eundem, & apud Eusebium historia lib.
6. c. 14.

LV. Addit tamen Hieronymus Paulum fortè ad Hebraeos
scripsisse & propter invidiam sui apud eos nominis, titulum in
principio salutationis amputasse. Sunt certè multò plures, qui
eam Paulo tribuunt, neq; aliud fuerit omnes eos recensere,
quàm tempore abuti. Quoniam verò Canonicam & à Spi-
ritu sancto profectam eam esse concedimus, superuacaneum
est de auctore litigare: Paulo autem indubitato adtribuere,
fortè temerarium.

LVI. Petro duæ tribui solent Epistolæ, de quibus Euse-
bius in hunc modum. *Vna Petri Epistola, qua prior esse dicitur,* hist. l. 3. c. 3.
omnium consensu est adprobata. Hanc quasi extra omnem contro-
uersiam positam, veteres in suis scriptis citarunt. Eam autem qua
illius secunda fertur esse Epistola, non ita auctoritate & testimonio
veterum confirmatam accepimus. Verùm cum plerisq; perquam vi-
lis videretur unâ cum alijs scripturis studiosè perlegi per discipulq; so-
lita est. Et post: Ex scriptis Petri unam solam Epistolam germa-
nam noui, eamq; summo antiquorum presbyterorum consensu ad-
probatam.

LVII. De Iacobi Epistolâ merito dubitatur. Iacobus
enim frater Domini, qui & Maior & Iustus cognominaba-
tur, cuius hanc volunt esse Epistolam, martyrium perpeffus
est, A. C. 43. cum nuper Imperium accepisset Claudius. Iste
verò Iacobus scribit post excidium Solymarum, XII tribu-
bus dispersis. Deinde planè mutus est de merito & satisfacti-

hist. l. 2. c. 23.

one Christi, & fide in Christum, quæ vrgere solent & debent Apostoli; præsertim cùm eo tempore scribat & ad eos, ad quos maximè opus, alioquin legi & ceremonijs nimium addictos. Atq; Eusebius de eadè in hunc modum. Ἰστέον ὡς νοθεύεται ἡ ψῆ. *Non enim multi veterum eius mentionem faciunt, sicut nec eius qua Iuda dicitur, qua & ipsa una est è septem quas Catholicas adpellant. Attamen scimus & ista cum reliquis in plurimis ecclesijs publicè legi.*

v. 17.

LIIX. De Iudæ tamen Epistolâ magis adhuc dubitari potest, quum adleget Apocrypham historiam concertationis Archangeli & Diaboli de corpore Mosis, & citet vaticinium de libro Apocrypho Henoch. Dicit quoq; *Memores estote verborum quæ predicta sunt ab Apostolis Domini nostri Iesu Christi.* Et subiungit verba Petri, ex secundâ ep. c. 3. v. 3.

hist. l. 3. c. 21
& 22.

LIX. De Epistolis & Apocalypsi Ioannis Eusebius in hunc modum: *Prior eius epistola cùm à recentioribus tum à veteribus absq; ullâ hesitatione recipitur. Reliquis verò duabus contradicitur. De Apocalypsi etiamnum apud multos dispar est opinio, probantibus illam alijs, alijs verò reprobantibus.*

LX. Atq; hæc etiam sunt scripta Noui fœderis, cùm indubitata, tum de quibus aliquando dubitatum fuit; quamquam nos de ijs nemini litem mouebimus.

LXI. Scriptum autem est sacrum volumen principio & ab ipsis auctoribus, duabus linguis; Nouum quidem Græcâ, nisi quod, vt adnotauimus, à plerisq; excipiuntur Euangelium Matthæi & Epistola ad Hebræos: Verus Hebræâ illâ antiquâ, quæ coæua mundo & in solâ familiâ Heber, cum linguæ confunderentur, salua remansit. Nam quæ in vsu erat temporibus Christi & Apostolorum, Hebraica quidem adpellabatur, verum erat Syriaca, quæ in prioris locum successerat tempore captiuitatis Babylonicæ, nata ex mistione Chaldaicæ & Iudicæ, Chaldaicæ verò dialecti vsus est in libro Hezræ à capitis 4 v. 8 vsq;

vsq; ad cap. 7, versum 27; vbi decreta Regum Persicorū referuntur: & in Daniele à cap. 2, v. 4 vsq; ad caput octauum: & in Ieremiâ c. 10, versu vnico, eoq; vndecimo. Qui Iobum alio quàm Hebræo idiomate loqui censent, falluntur: habet autem accuratum delectum verborum, vt commune dicendi genus excedere videatur, neq; caret metris; quibus etiam scriptos constat Psalmos, & Threnos, & Prouerbia & Cantica quæ libris inserta legimus, quamquam rationem ea metiendi memoriâ hominum excidisse arbitror.

LXII. Hoc quoq; constat auctores nonnullorum librorum ignorari, neq; quicquam certi alicunde erui posse. De istis itaq; omnibus, quod de vno Iobi libro Gregorius Magnus rectè monuit, obtineat: *Quis hæc scripserit valde superuacaneè queritur, cum tamen auctor Sp.S. fideliter credatur. Ipse igitur hæc scripsit, qui hæc scribenda dictauit. Si magni cuiusdam viri susceptis epistolis legeremus verba, eaq; quo calamo essent scripta quereremus, ridiculum profectò esset, si non epistolarum auctorem scire, sensumq; cognoscere, sed quali calamo earum verba impressa fuerint, indagare studeremus. Cum ergò rem cognoscimus, eiusq; rei Sp.S. auctorem tenemus, quia scriptorem querimus, quid aliud agimus, nisi legentes literas de calamo perscrutamur?*

præf. in
Iob. c. 1.

LXIII. De sectionibus in capita & versus notetur ex Balaëo cent. 3. c. 87, (vt citant Magdeburgenses) Stephanum Longthonium Archiepiscopum Cantuariensem, qui A. C. 1227 vitâ functus est, distinctionis in capita auctorem esse; neq; enim ante ea tempora capitum apud vllos vsus: distinctionem autem in versus cepisse patrum memoriâ.

cent. 3. c. 7
& 10.

LXIV. Porrò non sine singulari prouidentiâ diuinâ integri seruati sunt fontes, ipsis Iudæis in id incredibili diligentia & religione incumbentibus.

LXV. Confecerunt volumen quod Mazzoreth, latinè exhibitionem adpellant; in quo omnium in Biblijs versuum,
voca-

vocabulorum, & literarum summa subducta exhibetur, indicatur præterea, quot literis singuli libri constent, vbinam medium, vbi quarta adnotetur pars; quot præter communem scriptionem maiores, quot minores, quot mediocres literæ, quæ etiam permutatæ obseruentur.

LXVI. Bened. Arias Montanus præfatione in secundum tomum sacri adparatus; *Quantâ integritate, inquit, sacra Biblia in eâ linguâ, qua sancta adpellatur, semper conseruata fuerint, pleriq; doctissimi viri constanter adseuerarunt; idq; à nobis etiam aliquando demonstrabitur. Idem. Dei consilio factum putamus, ut cum magna Græcorum Latinorumq; ferè omnium eiusdem auctoris exemplarium, ac præsertim manuscriptorum, pluribus in locis varietas deprehendatur, magna tamen in omnibus Hebraicis, quæcumq; nostro seculo inueniuntur Biblijs, scriptionis æqualitas, similitudo & constantia seruetur, quocunq; modo scripta illa sint, siue solis consonantibus constent, siue punctis etiam instructa visantur.*

LXVII. Hunc opponimus Alphonso Salmeroni, qui prolegomeno 4. Comment. in Euangelicam historiam prolixè ostendere conatur, *Veritatem siue lectionem Hebræam non esse sine plerisq; vitijs & corruptionibus, ut non sit per omnia illi temerè fides adhibenda: sed potius translationibus Græcæ & Latinæ. Eiusdem sententiæ sunt Iacobus Episcopus Christopolitanus præf. in Psalmos, & Melchior Canus de locis Theologicis, l. 2. c. 13.*

proleg. 13.

LXVIII. Verùm euidentissima veritas ipsum Bellarminum hisce suis socijs contradicere coëgit. Et ipse Salmero sibi contrarius, ex fontibus dubia docet explicanda, esse & emendandos errores, qui in vulgatam irrepservnt editionem, vel iniuriâ & malitiâ librorum vel temporum

LXIX. Quum autem Verbum diuinum latiùs propagandum esset, Hebræa verò lingua arctis terrarum limitibus clauderetur, primùm quidem translatum fuit in Græcam omnium tum temporibus vsitatissimam, & communem gentium Mercurium.

curium. Inde quia tamen non omnes, ad quos Verbum per-
uenit, græcè nouerant, cum Vetus tum Nouum Test. in Latinã
& alias translata fuere, prout vsus & auditorum captus po-
stulabat. Nam sunt varia dona, inter quæ etiam *γένη γλωσσῶν*
καὶ ἑρμηνεία γλωσσῶν, quibus Ecclesiæ doctores instruit Spiritus
sanctus *πρὸς τὸ συμφέρον*. Semperq; non tantum licuit, sed
oportuit scripturã quocumq; vernaculo sermone interpreta-
ri. Sic Viphilas Gothorum Episcopus apud Socratem *primum*
Scripturam in eorum linguam conuertit, ubi instituit animo,
ut barbari illi sancta Dei eloquia perdiscerent. Sic Theodoritus
testatur Hebraicos libros non modo in Græcum idioma conuersos es-
se, sed in Romanam quoq; linguam, Aegyptiam, Persicam, Indicam,
Armeniacam & Scythicam atq; adeò Sauromaticam, & breuiter in
omnes quibus ad hunc diem, inquit, nationes vtuntur. Sic Hiero-
nymus multarum gentium linguis Scripturam iam olim transla-
tam fuisse docet.

1. Cor. 12, 7
& 10.

1. 4. c. 27.

de adf.
Græc. l. 5.

præf. in
Euang.

LXX. Græcæ versiones sex numerantur, quarum celeberrima est LXXII seniorum, qui seni è singulis tribubus à Ptolemeo Philadelpho acciti libros V. T. felicissimè & ad Hebraicam veritatem maximè adpositè transtulerunt. Vide Ioseph. *Antiq. l. 12. c. 2.* Epiphani. *de pond. & mens. August. de doct. Ch. l. 2. c. 15. de ciuit. l. 18. c. 43.* & cum primis Aristeæ vnus ex interpretibus de hac re librum, qui à Iosepho citatus etiamnum exstat. Quoniam verò de eâ, quæ hodie nomen LXX præfert, dici non potest, quod de illâ prædicant Aristeas & Iosephus, nempè factam esse *καλῶς καὶ ὀσίως καὶ κτ' πᾶν ἠνεκβωρδύως*, nullus dubito eam aut non esse germanam, aut certè miserè deprauatam & interpolatam: nam etiam de suâ ætate testatur Hieronymus, per omnes ecclesiarum bibliothecas inualuisse exempla eius ab Origine & Theodotione corrupta.

Ep. ad Aug.

LXXI. Altera est Aquilæ Pontici, qui è Iudæo Christianus & è Christiano iterum factus est Iudæus; Tertia Theodotionis

L

tionis

tionis Marcionitæ; Quarta Symmachi Ebionæi; Quinta inuenta Nicopoli apud Actium littus; Sexta itidem reperta in dolio apud Iericho temporibus Antonini Seueri. De hisce, & quomodo inde Origenes confecerit sua Tetrapla, Hexapla & Octopla consule Euf. *hist. l. 6. c. 12*; Epiphan. *l. de pond. & mens.* Et Athanas. *in calce Synops.* qui sex istis septimam Luciani martyris subiungit, quæ videtur fuisse emendatio LXX; quam itidem ab Hesychio præstitam ex Hieronymo colligere licet.

l. 2. de doct. Christ. c. 14.

LXXII. Latinas suo tempore complures fuisse testis est Augustinus: ipse autem Italam quamdam cæteris præfert, quam *verborum tenaciorem, cum perspicuitate sententiæ esse dicit.* Hieronymum quoq; propriam dedisse constat; atq; hanc ipsam esse volunt Pontificij Vulgatam illam, quod tamen non facile crediderit, qui legerit Hieronymum ostendentem multa aliter vertenda esse, quam vertit Vulgata. De hac verò Tridentini statuunt *vt in publicis lectionibus, disputationibus, predicationibus aut expositionibus pro authenticâ habeatur, & quòd eam nemo reijcere quouis prætextu audeat, vel præsumat.*

sess. 4. dec. 2

Præfat. in Job. c. 2. num. 4.

dist. 9.

LXXIII. Hoc verò barbarum & beluinum esse, nemo tam stupidus est, qui non intellegat, vt versio aliqua authentica sit, nec reijciatur, si à fonte longiusculè abeat: imò fontibus reiectis ipsa præferatur. Neq; enim Ioannes Pineda veretur affirmare: *nihil sacre autoritatis hætenus est, nisi quod in latino codice vulgato habemus;* non credo aliã de causâ, nisi quia existimat Ecclesiam Romanam fontes suis decretis nondum confirmasse. Quoniam enim hætenus ipsis neq; cum sensu, neq; cum consensu communi benè conuenit, sibi met quoq; tandem manus inferunt. Audiant enim ius suum, quod ita ex Hieronymi Epistolâ ad Lucinium; *Vt veterum librorum fides de Hebrais voluminibus examinanda est, ita nouorum græci sermonis normam desiderat.* Hoc decretis insertum fuit.

LXXIV. Eiusdem Hieronymi præclara sententia Epistolâ ad

Lucinum

lâ ad Suniam & Fretellam legitur ista: *sicut in N. T. si quando apud Latinos questio exoritur, & est inter exemplaria varietas, recurrimus ad fontem græci sermonis, quo nouum scriptum est testamentum: Ita in V. T. si quando inter græcos Latinosq; diuersitas est, ad Hebraicam recurrimus veritatem.* Cum Hieronymo facit etiam Augustinus qui ait: *Cum diuersum aliquid in codicibus inuenitur, ei lingua potius credatur, unde est in aliam per interpretes facta translatio.*

LXXV. Nullo modo fieri potest, vt versio ita omninò reddat vt habetur in fontibus. Sunt verba, sunt prouerbia, sunt sententiæ, sunt ambiguitates, sunt mysteria primæuæ linguæ, nec non Græcæ propria, peculiaria, quæ in aliam transfusa obscurantur, intricantur, interdum planè pereunt.

LXXVI. Nihil nunc dico de vitijs quæ in vulgatam versionem irreperunt; quòd discedat à fontibus; quòd vitio temporum, & incuriâ librariorum deprauata sit; quòd ipsa eius exemplaria aliter atq; aliter habeant.

LXXVII. Longè modestiùs de suâ germanâ versione sensit Hieronymus, cui hanc, qualiscunq; est, velit ipse aut nolit, adscribunt: is certè nemini illam obtrudi voluit. *Si cui legere non placet, inquit, nemo compellit inuitum.* Et ad ipsum non veretur scribere Augustinus: *Etiam nobis videtur aliquando te quoq; in nonnullis falli potuisse.*

LXXIIX. Neq; hoc negat Hieronymus. Certè enim Interpretes Prophetæ non sunt; falli possunt, & sensum quem exprimere laborant, non adsequi. Ipse Bellarminus, *admitimus*, ait, *Interpretem non esse Prophetam, & errare potuisse, tamen dicimus eum non errasse in illâ versione quam adprobauit Ecclesia.* Nempe ideo (quisquis tandem ille) tunc non errauit, quia post aliquot secula Tridentini patres istam versionem decreto erant adprobaturi. Verùm nimis ingenua, vel fortè imprudens est confessio Salmeronis: *si integra sunt volumina He-*

l. 15. de ciu.
c. 13.

Vide Ariam
Mont. in
præfat.

Ep. 11. apud
August.
Ep. 10.

lib. 2. de
Verb. c. 11.

proleg. 4.

na Hebraeorum & sincera, (quod non audeat negare Bellarminus) necessario confitendum est, editiones tum LXX Græcam tum Hieronymi Latinam, quæ illis non conueniunt, falsas esse & deprauatas. Neq; satis cautè, etsi satis rectè Ben. Pererius in ipso statim primo capite Geneseos v. 21; & in secundo v. 6 & 21. ex Hebræo longè aliter legendos & intellegendos esse docet, ac habentur in vulgatâ.

LXXIX. Non autem dogmatibus suis fulciendis sufficere arbitrantur Pontificij, vel libros Apocryphos Canonicis adnumerare, vel prauam versionem pro fonte obtrudere, nisi eodem iure totius sacræ scripturæ interpretationem adtribuant suæ Ecclesiæ, cuius caput Pontificem dicunt, qui solus summus controuersiarum iudex sit, errare non possit, cuius vox tanquam diuina & irrefragabilis audienda.

XXC. Et quid differant à Schvvenckfeldio? Is neglecto verbo, suæ mentis speculationes sectabatur. Neq; verò Pontificijs aliud verbum est, quàm larua resq; nihili, si non ex ipso verum ex mente Camilli Burgesij, siue (vt nunc, postquam fastigium illud Romanum conscendit, adpellari mauult) Pauli quinti, sensus eius petendus sit. Non enim quod ipsum, sed quod ille dixerit, auctoritatem obtinebit: neq; sensus is fuerit quem suppeditauerint ipsa verba & planus contextus, sed qui Luperco Vaticano arriserit, aut per somnium in somno oblatus fuerit.

XXCI. Vt autem hæc aliquo prætextu facere videantur, adfingunt Scripturæ inexplicabilem obscuritatem; planissimè ad morem nequissimorum hereticorum, qui, vt refert Irenæus, cum ex scripturis arguuntur, in accusationem ipsarum scripturarum conuertuntur, quasi non rectè habeant, neq; sint ex auctoritate. & quia variè sint dictæ, & quia non possit ex his inueniri veritas ab his, qui nesciant traditionem. Sic quoq; Tatianus, auctor & antesignanus ille Encratitarum (vide Iren. l. 1. c. 31. Euseb.

lib. 3. c. 2.

Euf. l. 4. c. 27. Hieron. in Catal.) qui sacrarum scripturarum sensus ac sententias pro suo arbitratu, ut ait Eusebius, interpretantur, quosq; ut in hoc, ita in pluribus alijs magistros habent Pontificij; is elaboravit librum quemdam questionum, quibus pollicebatur se sacras literas inuolutas & obscuras esse demonstraturum. Verum Rhodon Asiaticus, ipsius Tatiani quondam discipulus contra se easdem questiones in libro separato perspicue soluturum promittit. Euseb. l. 5. c. 13.

XXCII. Non negamus quidem nos in Scripturis esse, ut de epistolis Paulinis Petrus loquitur *δυσνόητά τινά*, siue quædam explicatu difficiliora, ad domandam labore superbiam, ut optimè scribit Augustinus, & intellectum à fastidio remouendum, cui facile inuestigata plerumq; vilescunt. Nam magnificè & salubriter Spiritus S. ita scripturas modificauit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus fastidia detergeret. 2. Pet. 3, 16.
l. 2. de doct. Christ, c. 6.

XXCIII. Hoc autem idem Doctor rectè subiungit: Nihil ferè de illis obscuritatibus eruitur, quod non alibi dictum clarissimè reperiatur. Ante omnia igitur opus est Dei timore conuertere ad cognoscendam eius voluntatem. Nos nihil aliud dicimus, nisi quod hic dicit & docet Augustinus, nempe opem diuinam esse implorandam, locum cum loco, antecedentia cum consequentibus conferenda & consideranda, ut ad obscuriores loquutiones illustrandas de manifestioribus sumantur exempla, & certarum sententiarum testimonia dubitationem de incertis auferant. cap. 9.

XXCIV. Thesin itaq; aliam non ponimus præter eam, quam posuit Augustinus, nimirum hanc. In ijs, quæ aperte in Scripturâ posita sunt, inueniuntur illa omnia quæ continent fidem moresq; viuendi. ibid.

XXCV. Eamq; non nisi ex ipsâ Scripturâ probabimus. Deut. 30, 11 dicit Dominus: Mandatum hoc, quod ego precipio tibi hodiè, non occultum est à te, neq; longinquum est. Non in cælo est, ut dicas: Quis ascendet pro nobis in cælum, & capiet illud

nobis & audire faciet nos illud, &c. Paulus 2. Cor. 4, 3. Si opertum est Euangelium nostrum, ijs, qui pereunt, opertum est.

XXCVI. Quod si tota Scripturæ lux & intelligentia dependeret ab Ecclesiâ, cur ipsa diceretur lucerna pedibus nostris, Ps. 119, 105; lucerna splendens in obscuro loco, 2. Pet. 1, 19; cur iuberemur scrutari Scripturam Ioan. 5, 39. si intelligi non posset?

XXCVII. Et certè fuit tempus, quo nulla in Scripturas exstiterunt Commentaria: quæ hodiè exstant antiquissima, Origenem habent auctorem; neq; vlla fortè ante ipsum fuerint. Si itaq; tunc ita obscuræ non fuerunt, vt absq; Comen- tarijs intelligi potuerint, vnde nunc illis tanta obscuritas?

Theod. 1. 1.
hist. c. 7.

XXCVIII. Porrò Ecclesia & Patres articulos fidei ex Scriptu- râ probant: vnde Constantinus in synodo Nicenâ *literarum diuinitus inspiratarum testimonijs*, inquit, *res in questionem addu- ctas dissoluamus*. Scripturam itaq; ambiguam & obscuram esse non oportet, alioquin ridiculæ forent istæ probationes & dissolutiones.

XXCIX. Et si Scriptura obscura, culpa redundabit in Spi- ritum S. qui apertius scripsisse vel noluit, vel non potuit. Hoc non dixerint: sed nec illud, pugnet enim cum fine scribendi, qui est nostra doctrina, Rom. 15, 4.

XCI. Scriptura itaq; ita obscura non est, vt à bellatore illo Romano, non ex ipsâ eius sensus peti debeat. Ex ipsâ autè pe- tere, est à Spiritu S. petere, qui auctor est scripturarum. Le- gem verò optimè interpretatur, qui legem tulit. Ergò & scri- pturam optimè interpretabitur Spiritus S. in scripturis lo- quens. Atq; tunc eodem spiritu & sensu intellegentur & ex- plicabuntur, quo scriptæ fuerunt.

XCI. Laudantur Berrhoenses Act. 17, 11, quòd Scripturas scrutarentur, num ita se haberent, quæ Paulus docebat. Si ita- que Apostoli doctrina ex scripturis examinata fuit, oportet-
bi

bit iuxta easdem aliorum adeoq; Ecclesiae & Pontificis sententias examinare, secundū illud Pauli *πάντα δοκιμάζετε. 1. Thess. 5, 2.* Et hoc Ioannis, *1. Ioan. 4, 1. δοκιμάζετε τὰ πνεύματα.*

XCII. Quum igitur nulla maior esse possit auctoritas quam Spiritus S. loquentis in Scripturā; & anathema sit, si vel Angelus de coelo aliud Euangelium prædicaret, Gal. 1, 8; homo deniq; errare possit, studio partium duci, neq; vllus tantæ sit auctoritatis, vt fidem in nobis generare vel confirmare queat, hoc verò solus Spiritus S. per Scripturam efficiat: patet etiam de rebus fidei supremum iudicium deferendum esse soli Spiritui S. prout in Scripturis loquitur.

XCIII. Quod si Ecclesia suum iudicium interponat, facit hoc auctoritate non propriā, sed alienā, & ad hanc normam regulamq; adstrictā & limitatā, vt fiat illud: *Ad legem & testimonium &c.* Siue itaq; de explicatione ipsius Scripturæ siue de dogmatibus controuertatur, *secundum scripturas expositio legitima est, sine periculo & sine blasphemiā*, vt ait Irenæus l. 4. c. 63.

XCIV. Sicut verò de obscuritate ita quoq; insufficientiā Scripturarum clamitant, vt locus detur traditionibus non scriptis.

XCV. Nos econtrā credimus & statuimus, quod Scripturæ finis sit *fides in Christum & per fidem vita æterna.* Quod si insufficienter doceret, quæ huc pertinent, imperfecta foret. Atq; ita à Spiritu S. profecta esset doctrina, per quam finis, in quem tamen ordinata, non posset haberi.

XCVI. Quod autem sufficiens & perfecta sit, ideoq; nihil ei addere liceat, multis insuper modis probari potest. Si enim non licuit Iudæis ad libros Moysis aliquid addere, *Deut. 4, 2. & 12, v. vlt.* multò minus nobis licebit addere ad Canonem iam constitutum. Ideoq; Paulus clarissimè: *Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepistis, anathema sit.* Et de sufficientiā Scripturæ testatus, talem esse adseuerat, *unde homo Dei perfectus fiat, & ad omne bonum opus instructus.* Gal. 1, 8. 2. Tim. 3, 17.

97. Ita

XCVII. Ita Pl. 19, 8. *Lex Domini perfecta, conuertens animam; testimonium Domini fidele, dans sapientiam paruulo.*

l. i. de conf.
Euang. c.
vlt.

XCVIII. Quæcunq; scitu necessaria sunt, continentur dictis & factis Christi. At de ijs omnibus se scripsisse testatur Lucas, *Act. 1, 1.* Vnde Augustinus: *Quicquid Christus de suis factis & dictis nos legere voluit, hoc scribendum illis (Apostolis) tamquam suis manibus imperauit.*

XCIX. Epulo, quum ab Abrahamo fratribus suis adparitiones mortuorū impetrare vellet, responsum tulit; *Habent Mo-*
Luc. 16, 29. *sen & Prophetas, illos audiant, In Mosch igitur & Prophetis con-*
Ioan. 5, 39. *tinetur, quodcunq; facit ad salutem nostram. Vnde Christus:*
Scrutamini scripturas, quia videmini in ipsis vitam aternā habere.

C. Quantum verò ad Traditiones adtinet, vt tandem ad vltimum Pontificiorum perfugium veniamus, sciendum est vocabulum esse æquiuocum. Primò Traditio vocari potest quicquid vel scripto vel viuâ voce traditur, quo sensu tota Scriptura & quidquid ex Scripturâ viuâ voce enarratur & explicatur, traditio est. *Act. 6, 14.* τὰ ἔθνη ἃ παρέδωκεν ἡμῖν Μουσῆς
Vulgata: *Traditiones, quas tradidit, &c.* II. Testimonium, quod alicui rei perhibetur. Talis traditio est Ecclesiæ testificatio de libris Canonicis. III. Ordinatio rituum externorum & ceremoniarum indifferentium, quæ pro comòdo & ratione temporum mutari possunt: de quibus nulla specialia, sed tantum generale hoc præceptum exstat: πάντα περὶ οἰκοδομῆς, διχημώ-
vως καὶ κτ' τάξιν γινέσθω. 1. Cor. 14, v. 26. & 40.

CI. Quartò traditio, vt in hac controuersiâ accipitur, articulus aliquis fidei est ad salutem necessarius, qui scripturâ non contineatur, sed per manus maiorum ab antiquitate ad nos vsq; peruenerit. Hoc sensu traditionem accipiunt Pontificij, & sub eius inuolucro, quicquid ex scripturâ probare non possunt, occultare conantur. Estq; vna è præcipuis regni Pontificij columnis: atq; ægerrimè habet aduersarios quod è serui-

feruitute huiusmodi commentorum in libertatem nos vin-
dicauerimus. Staphylus itaq;: *si nulla heresis alia excitata esset* ^{de concord.}
à Luthero, abundè id sufficeret quod docuit nihil amplectendum, ^{Luther.}
præterquam quod Deus ipse expressè, liquido ac luculenter in sacris
Biblijs siue iusserit siue prohibuerit. Certè ad destruendū regnū
Pontificium sufficit; neq; in eo fallitur: vnde etiam Martinus ^{præf. in lib.}
Peresius; *vnus hic est, inquit, fons & origo omnium errorum, quòd* ^{de Trad.}
nihil sit pro certo & indubitato in ijs, quæ ad Christianam adtinent
pietatem, à quoquam fidei recipiendum nisi atramento mortuo in
sacris codd. expressum inueniatur. Item. *Traditiones sunt caput &*
seminarium omnium ferè controuersiarum, quæ hodiè agitantur:
& in quo vnosi aduersarij nobiscum vellent consentire, facile o-
mnia, quæ nunc vexant ecclesiam, dissidia sopirentur.

CII. De huiusmodi traditionibus, quoniam suprà osten-
dimus scriptis esse comprehensa, quæcunq; nos Deus ad sa-
lutem nostram necessaria scire voluit, certum est nihil eas ef-
se, quàm instituta hominum, de quibus Christus Marc. 7, 7,
& Matth. 15, 9 ex Ies. 29, 13: *Frustra colunt me, docentes doctri-*
nas, præcepta hominum. Item Marc. 7, 9. *Pulchrè abrogatis man-*
datum Dei, vt seruetis traditionem vestram. Item. v. 13. *Irritum*
facientes verbum Dei traditione vestrà, quam tradidistis. Idem i-
taq; iudicium esto de traditionibus Pontificijs, quod de Iu-
daicis, quas Christus scripturis opponit.

CIII. Et si veteris T. scriptura ita fuit sufficiens, vt o-
mnes articulos fidei inde probarit Christus, probarint Apo-
stoli, (quorum certè vestigia nos quoq; sequi oportet) nun-
quam non reiectis traditionibus seniorum, quanto magis hoc
fieri poterit velamine ablato, & scripturis accessione & luce
N.T. auctis?

CIV. Sic Paulus in Synagogâ Iudæorum, per tria Sab-
bata differebat eis *ἀπὸ τῶν γενεῶν* Act. 17, 2. Christus obiurgat
discipulos quòd tardi essent ad credendum omnibus quæ

M

Pro-

Propheta locuti essent *Luc. 24, 25*. Vicissim Paulus testatur se credere omnibus quæ in lege & Prophetis scripta sunt, *Act. 24, 14*. Et alio loco: *Auxilium nactus à Deo usq; in hodiernum diem sto testificans cum paruis tum magnis & δὲν ἐκτὸς λέγων, nihil extra dicens, quàm quæ futura Propheta loquuti sunt & Moseh, Act. 26, 22.*

CV. Quæcunq; igitur credenda & prædicanda sunt, ea habentur in scripturis Prophetis, & quæ cum his consentiunt Apostolicis, sicut dicit Paulus suum Euangelium promissum per Prophetas in scripturis sanctis. *Rom. 1, 2*. Nihil itaq; extra eas credendum aut prædicandum.

CVI. Omitto nunc, ne nimis prolixus sim, quòd olim antiqui hæretici, sicut hodiè Pontificij quando testimonia scripturarum eos defecerunt, ad traditiones confugerint; quòd traditiones obliuioni & interitui obnoxia sint; quòd ob peruersitatem & negligentiam hominum seruari integræ non possint, vnde Chrysostomus scripturis opus esse dicat, quia multi doctrinam corrumpant: atque ideo traditionibus nihil incertius esse aut infirmius, quum tamen fundamentum fidei certum oporteat esse ac firmum.

CVII. Demum adduci possent testimonia Sanctorum Patrum vt eò magis omnibus innotesceret, quemadmodum fuci illi & malè feriatu hæretici latibula traditionum quaesierunt: ita sinceros doctores nihil præter scripturas recepisse, earumq; plenitudinem, vt Tertulianus loquitur, adorasse & veneratos esse.

CVIII. Origenes tract. 25 in Matth. *Debemus ad testimonium omnium verborum quæ proferimus in doctrinâ, proferre sensum scripturæ quasi confirmantem quem exponimus sensum. Sic ut enim omne aurum quodquod fuerit extra templum non est sanctificatum: sic omnis sensus qui fuerit extra diuinam scripturam, quamuis admirabilis videatur quibusdam, non est sanctus, quia non*

conti-

Hom. 1. in
Matth.

lib. adu.
Hermog.

continetur à sensu scripturae. Cyrillus in cap. ult. v. ult. Ioan-
nis. Non omnia quae fecit Dominus scripta sunt, sed quae scriben-
tes putarunt sufficere tam ad mores quam ad dogmata, ut recta
fide, operibus & virtute rutilantes ad regnum caelorum peruenia-
mus in Iesu Christo. Augustinus in eundem locum: Electa sunt ^{tract. 49. in}
quae scriberentur, quae saluti credentium sufficere videbantur. Hie- ^{Ioan.}
ronymus. Quod de scripturis auctoritatem non habet, eadem faci- ^{Comm. in}
litate contemnitur, quae probatur. Item. Alia quae absq; auctori- ^{23. c. Matth.}
te & testimonijs scripturarum, quasi traditione Apostolica, sponte ^{in 1. cap.}
reperiunt atq; consingunt, percutit gladius Dei. ^{Hagg.}

CIX. Sed nolumus molesti esse citandis Patribus; tam-
tum è Scholasticis inferiorum ætatum scriptoribus, præcipuis
ecclesiae Pontificiae doctoribus quaedam adducemus. Tho- ^{2. 2. quæst. 1.}
mas ita sibi alicubi obijcit. *Sacra scriptura est regula fidei, cui* ^{art. 9.}
nec addere nec subtrahere licet. Ergo illicitum fuit symbolum con-
stituere quasi regulam fidei post S. Scripturam editam. Soluit au-
tem ita ut antecedens concedat, dicatq; Veritatem fidei in S.
Scripturâ diffusè contineri, è quâ ut eliciatur requiri longum stu-
dium & exercitium: quoniam verò pleriq; alijs negotijs occupentur,
necessarium fuisse ut ex sententijs S. Scripturae aliquid manifestum
summariè colligeretur: quod quidem non est additum S. Scripturae,
sed potius ex S. Scripturâ sumtum. Scotus expressè dicit: Patet ^{quæst. 2.}
quod S. scriptura sufficienter continet doctrinam necessariam via- ^{prol.}
tori. Item. Sicut Theologia beatorum habet terminum, ita & nostra ^{quæst. 3.}
ex voluntate Dei reuelantis. Terminus autem præfixus est eorum
quae sunt in S. scripturâ, quoniam sic habetur Apoc. ult. Qui adpo-
suerit ad hæc, adponet ei Deus plagas, quae adponuntur in libro isto.
Igitur Theologia nostra de facto non est nisi de his quae continentur
in Scripturâ, & de his quae possunt elici ex ipsâ. Bonaventura. Est ^{in prol. ad}
additio, in quâ additum est contrarium; & est in quâ additum. est ^{lit.}
diuersum; & est in quâ additum est consonum. Prima est erroris;
secunda præsumtionis, quia præsumptio est dicere aliquid in S. Scri-
pturâ

pturâ omnino diuersum ab his, quæ in eâ expressa sunt. Tertia fide-
lis instructionis, quia quod implicitum est, explicat. Durandus.
Continetia S. Scriptura fidei mensuram exprimit, Idem 3. dist. 26.
quæst. 2, docet nihil addendum esse supra S. scripturam, nisi quod
eam elucidet & declaret. Gregorius Ariminensis. Discursus pro-
priè Theologicus est qui constat ex dictis siue propositionibus in S.
Scripturâ contentis: vel ex his quæ deducuntur ex eis: vel saltem
ex alterâ huius. Item. Ceterarum veritatum scilicet non sequenti-
um ex dictis S. Scriptura nullam dico esse conclusionem Theologi-
cam. Hoc autem probatur ex dictis Augustini XIV de Trinit. cap. 1.
ubi dicit, se huic scientiæ tribuere, non quidquid ab homine sciri
potest: sed illud tantum quo fides saluberrima, quæ ad veram beati-
tudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur. Sed con-
stat quod quodlibet tale vel expressè secundum se continetur in scri-
pturâ, vel ex contentis in eâ deducitur: alioquin non ipsa sufficeret
ad nostram salutem, & nostræ defensionem fidei &c. Petrus de
Alliaco, Cardinalis Cameracensis. Tunc solum dicimus aliquid
Theologicè probari, quando ex dictis S. Scriptura concluditur. Item,
Principia Theologica sunt ipse sacri canonis veritates, quoniam ad
ipsas fit vltima resolutio Theologici discursus; & ex eis primò singu-
le conclusiones Theologica deducuntur. Gab. Biel. Omnia creden-
da in Scripturâ Canonicâ continentur.

præf. in M.
sent.

prol. q. 1. a. 2

1. sent. qu. 1.
a. 3. EE.

3. dist. 25. q.
vn. a. 1.
not. 1.

CX. Ex hisce nemini obscurum esse potest, eos qui hoc se-
 culo Romanum Apollinem venerantur, non tantum ab anti-
 quioribus, & quibuscumq; sanioribus, verum à semet & suâ
 ipsorum factione dissentire; & sufficientiam Scripturarum à
 suis magistris constanter adsertam nunc oppugnare non nisi è
 desperatione, quòd intelligant malam causam aliter defen-
 di non posse, atq; ideò vt cum rectè sentientibus videantur
 strenuè depugnasse, fulminibus in propria viscera sæuire.

Deus nos in veritate conseruet.

Disput. 5 de peccato
in vniuersis
versis 5. folijs.
 51

00 A 6446


ULB Halle 3
002 935 767




WMA


Retro ✓







~~4~~ 11.

DISPUTATIONVM THEOLOGICARVM
QVARTA,
DE SACRA SCRIP-
PTVRA.
CVIVS THESES
DVCE ET AVSPICE CHRISTO,
PRAESIDE
M. GEORGIO CALIXTO
HOLSATO
XIIIX. Kal. Iulij in Incluta acad.
Iulia ad Elmum
DEFENDET
GEORGIUS VOLGNAD
Magdeburg.

Helmestadij Saxonum
Ex officinâ typographicâ IACOBI LVCII,
ANNO

clb lb cXI.

